

tibus; flosculis luteis; achaeniis omnibus conformibus, utrinque parum attenuatis, multistriatis, laevibus; pappo albo, periclinium superante.

In Armeniae monte Alagös.

Scapi ad basin, petioli et folia plerumque pilis raris conspersa, rarius subglabra. Folia ad 10 centim. longa. Scapi erecti, 12—30 centim. alti, virides, excepta ima basi glabri, ad pedicellorum basin bractea lineari fulti, caeterum aphylli. Calathidia semper erecta, ejusdem magnitudinis, atque in *Pter. obovata* Boiss. Periclinii squamae adpressae, intus glabrae, acutae vel acuminatae, exteriores ovatae vel lanceolatae, interiores lineari-lanceolatae. Flosculi numerosi, periclinio fere duplo longiores. Clinanthii paleae capillares, pappum subaequantes. Achaenia ad 6 millim. longa. Pappus mollissimus, achaenio paullo brevior. — Species *Pter. obovatae* Boiss., imprimis ejus var. *leiocarpae* Trautv. (*Pter. bifidae* var. *leiocarpae* Trautv. in Труд. С.-Пер. Бот. Сада I. p. 28), admodum similis, tamen haec ab illa radice annua, tenui prima fronte distinguenda. *Pter. glareosa* Trautv. (*Lagoseris frigida* Boiss. — *Intybellia glareosa* Schott et Kotschy. — Trautv. in Труд. С.-Пер. Бот. Сада II. p. 561) habitu alio et indumento farinoso-tomentoso, — *Pter. purpurea* Trautv. (*Lagoseris purpurea* Boiss.) autem flosculis purpureo-coeruleis, nec non periclinii indumento, a *Pter. runcinata* abhorrent. *Crepis Sahendi* Boiss. et Buhse (Aufz. der in Transkauk. u. Pers. ges. Pfl. tab. XI. fig. 1) autem *Pterothecae runcinatae* simillima est et valde suspicor illam ab hac prorsus non differre et tantum per errorem generi *Crepidi* adnumeratam esse.

222. **Mulgedium albanum** Dec. — Ledeb. Fl. ross. II. p. 844. — Boiss. Fl. or. III. p. 800. — C. A. Mey. in Beitr. z. Pflanzenkunde d. Russ. Reichs VI. p. 27.

var. *glaberrima* Trautv. tota glaberrima.

In Ossetia, prope Gudaur.

var. *setulosa* Trautv. pedicellis magis minusve glanduloso-setosis.

Cum var. antecedente.